

runt. Ita sanguis Christi, quod pridem exoptabant, venit super ipsos & filios ipsorum. Ita prophetia Christi, quam de Hierosolymæ, & totius politia Judaicæ interitu Matth. XXIV. 5. aliisque in locis S. Scriptura prædixerat, verè ad impleta est, & ne jota quidem minimum prædictionis hujus in terram cecidit: quippe quia ille veritas ipsa, in his mentiri non potuit. Quod enim per abominationem desolationis salvator noster excidium Hierosolymitanum ac destructionem innuere voluerit, patet ex Lucâ, qui desolationis hujus causam efficientem procreantem, nempe exercitus Romanorum, discretè exprimit; quando XXI. 20. dicit: *cùm videritis circumdari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote, quod appropinquavit desolatio.*

X. Quàm verax verò Christus fuit in comminationibus erga obstinatum populum Judaicum, tam veracem quoque se exhibuit in promissionibus, erga fideles suos Christianos, eos in calamitatibus publicis non deserendos, quorum aliqui adhuc tum temporis ibi latitabant, & Ecclesiam quandam constituebant. Hi, postquam extremæ hujus devastationis à Deo benignissimo præmoniti fuerant, urbem hanc jussu ejus reliquerunt.

XI. Satis, opinor, in considerando termino à quò migrationis Christianorum occupati fuimus: nunc oculos paulisper conjiciemus, in *terminum, ad quem*, seu locum illum, quò tunc migrarunt. Erat autem is *Pella*, urbs Decapoleos trans Jordanem, ad radices montis Galaad è regione Gerasa sita, non tantùm hæc Christianorum in eam migratione, & conservatione, sed & vetustate famaue conditoris olim incluta & celeberrima.